Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26418
Copyright: Admont, Benediktinerstift

oculis admirabilis ceteris apparebat. sed mul
to amplius uirtutum gemmis adornata. intus
spiritus sancti luce radiabat. Veniens ergo ad palatium
cesar: suo eam aspectui presentari iubet. et sic
eam alloqui cepit. Audiuimus tuam eloquentiam
et admirati sumus prudentiam. sed sacrificiis in
sistentes deorum. nequiuimus plenius tuorum uim conside
rare uerborum. Hoc autem dic nobis que es. et ex qua
orta progenie. quo censeris nomine. Cui
beata uirgo humiliter respondens. ego inquit
ancilla christi ... Katerina dicor. Costi
quondam regis ... filia. et liberalibus studiis
non mediocriter instructa. Quae dum cognouissem hec
omnia inepta et inutilia. ac nichil ualere ad
anime salutem. nec adiuuare ad patriam gloriam
presentis uite contempsi omnia. et confugi ad dominum
ihesum christum. qui dicit per prophetam. Perdam sapientiam
sapientium. et intellectum intelligentium reproba
bo. Et in euangelio dicit. Qui cumque reliquerit domum
aut patrem aut matrem propter me. centuplum acci
piet. Hanc itaque promissionem habentes. quod ad
nos pertinet dogma philosophorum platonis.
uidelicet atque aristotilis. homeri. uirgilii.
quae denique artis magice prestigia. ut pote inanes